





1730, 18

12
41

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,

JO. PHILIPPVS

Streit, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.
de moralitate legum libertatem venandi restringentium

ERFORDIÆ,

Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

FACULTATIS IURIDICAE
DECANVS
JO. PHILIPPVS
CIVIS

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MONTANI CONSILII
RIVS REGIMINIS

L. B. S.

FR. FORDIÆ
Typis GROSCHANS, Acad. Typogr.



Titulus de acquirendo rerum dominio,
 moribus nostris in multis capitibus
 mutationem recepit, præcipue verò
 illis, quæ jure natura omnibus pri-
 vatis permiffa erant, Stryk. de usu mo-
 dern. Pand. de acquir. rer. domin. §. 1.
 jure enim illo fera bestia simul at-
 que ab aliquo captæ fuerunt, statim

capientium fiebant, & manebant in dominio occupantis
 eo usque, donec evaserint capientis custodiam, & in na-
 turalem libertatem sese receperint. §. fere igitur 12. inst. de
 rer. divis. l. 3. ff. de acquir. rer. domin. Hæc tamen mutata
 sunt, videmus enim, exquisito hodie rigore, illos coerceri,
 qui venationi indulgent, aded ut ad hanc cohibendam pœ-
 næ etiam afflictivæ corporis & capitales adhibeantur. Sed
 an juste? affirmativa est probabilis, certum enim juris
 Principium est, quod, ubi pondus circumstantiarum rigo-
 rem postulat, ibi, qui habenas moderantur Reipublicæ,
 possint sub gravi pœna actum prohibere, consequenter
 jus venandi licite subditis adimere. Molin. Tom. 1. de J. &
 J. tract. 2. disput. 43. Less. libr. 2. de J. & J. cap. 2. dub. 7. Fachin.

) (2

1. Conz.

*1. Controv. 1. Carpz. part. 2. Pract. Crim. quest. 88. n. 7. seqq. Grotius lib. 2. de jur. B. & P. cap. 5. §. 5. & cap. 8. §. 5. jus enim natura venationem non vult absolute & simpliciter esse licitam, sed pro certo saltem rerum statu, ac sub conditione, si humana potestas ex justa causa non intercedat, & lege lata reddat illicitam. Est quod lex civilis nequeat precipere, quod jus natura prohibet, aut prohibere, quod precipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, ac prohibere, quod ante naturaliter licebat; sumitur enim aliquando jus natura pro statu, quem, spectata natura, res obtinet, absque hoc tamen, quod recta ratio statum determinet. Hoc sensu libertas, potestas venandi, ac jura id genus alia, revocantur ad jus natura, statum tamen hunc natura non determinat, neque precipit. Quare libertas venandi non est juris naturalis proprie ita dicti, quod sumitur pro regula humanarum actionum, qua ea jubentur, aut vetantur, qua creatura rationali, qua tali, sunt consentanea, aut dissentanea. Imo videtur vaga & promiscua venandi licentia esse contra regulam humanarum actionum, & summe noxia bono communi & publico; Praesertim si ea concedatur inferioris sortis hominibus, plebeis & rusticis. Quoniam experientia superiorum seculorum comprobatur, & ex hominum istorum moribus & inclinatione hodie quoque facile perspicitur, quod, si indifferenter omnibus permitteretur libera venandi facultas, tunc plurimos fore, qui recessuri essent ab officio suo, studio venationis derelinqentes & negligentes familiam, & vocationem ipsam, ad quam sunt destinati, sicut expresse tradit *Tiraq. in tractat. de Nobilit. cap. 37. n. 50.* ubi ait, principem justam habere causam subditis prohibenda venationis, si animadvertat, fore, ut Agricola, Mercatores, artifices, operarii, seu mercenarii & ceteri id genus homines, pra nimia venandi aviditate, & opera, agriculturam, mercaturam, artificium, aut opus quoridianum essent derelicturi, vel negligentius tractaturi. *Nicol. Everhard. jun. vol. 1. Consil. 10. n. 31.* Hoc, experientia teste, certum est, quod venatio valde abstrahat a laboribus &*

fun-

functionibus ad usum humanæ vitæ necessariis, & armis
cives instruat, ac ad quodvis facinus expeditos reddat, imo
& periculosis conventiculis occasionem præbeat, nec non
ad prædas alliciat & latrocinia. Ut pluribus deducit *Ever-*
bardus jun. dict. Consil. 10. ubi addit, quod venatio ex una
parte valde conveniat conditioni principis; tum quia du-
ris & arduis eundem assuefacit, ac ad labores bellicos aptio-
rem reddit: tum quia æquum est, ut qui curas publicas
sustinet, recreationem convenientem habeat, quâ eandem
soletur; ex altera verò parte parum Compendii afferat
singulis, si promiscuè omnibus indulta sit, quia vagâ hæc
licentia post se trahit solitudinem ingentem nemorum,
ac maximam inopiam ferarum, segetes etiam ac fruges
non raro laceffit: ergo magis promovetur bonum tum
publicum, tum privatum singulorum commodum, si jus
venandi Principi soli relinquatur. Proinde Principes pos-
sunt venationem ita prohibere, ut ne quidem dominium
feræ occupantibus acquirantur. ita *Zes. ff. de acquir. rer. domin.*
n. 14. unde sequitur, subditos teneri ad restitutionem, si
venentur, cum sciant vel scire possint, & debeant, quod
Princeps jus venandi solus obtineat. Nam ex læsione ju-
ris alieni, tormaliter & theologicè injustâ, nascitur obliga-
tio restituendi. Talis læsio autem intervenit, si venentur
subditi, cum sciant, quod jus venandi solus Princeps obti-
neat; Puniendi itaque sunt transgressores prohibita ve-
nationis. Quamvis verò regulariter ob fericidium pri-
mum pœna capitalis infligi nequeat, si tamen fericida sæ-
pius redeat, & circumstantiæ aliæ concurrant, etiam ulti-
mo supplicio affici poterit. *Everbard. dict. consil. 10.* cum
ibidem allegatis. Qui authores tamen rectè monent, Ne-
mesi non praruptâ, sed lentâ, ac in cunctationem, & se-
veritatem velut invitam compositâ, contra fericidas pro-
cedendum esse. Unde gradus varios assignant; in primo
collocant multam pecuniariam, & carcerem tempora-
rium: quâ pœnâ coercendum censent, qui primâ vice de-
prehensus, unam alferamve feram, pellis tantum, aut car-
nis gratiâ occidit. Secundum gradum assignant relegatio-

ni perpetua, cum promissione jurata: quâ poenâ afficiendum autumant, eum qui multâ pecuniariâ coercitus non respuit: In tertio gradu constituunt amputationem manus, cum relegatione perpetuâ, & cautione jurata: quâ poenâ plectendum existimant, qui contra fidem datam rediit in Provinciam ac feras deavo ex sylva interceptit. In supremum gradum evectum supplicium gladii, quo perimendum censent, quem poena tertium inflicta à feris & sylvis non abduxit, talis enim videtur incorrigibilis. Quam materiam occasione *diff. L. 3. de acquir. rer. domin. pluribus enucleabit*

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS
GVILIELMVS HENRICVS
HILLE,

Qui Mindæ ad Visurgim *die decimo Maji, A. MDCXCIII.* primam aspexit lucem; Patre Dn. SEBASTIANO HILLE, *Potentissimi Regis Borussiae & Serenissimi Electoris Brandenburgici* a monetarum Commissionibus, Matre verò BRIGITTA, B. Dn. GEORGII MÜLLERI, quondam Legionis Electoralis Brandenburgic. designatoris hospitiarum militarium, valgò *Regiments-Quartier-Meisters*, unicâ filiâ. Quorum nunc piè defunctorum parentum, dum viverent, curâ factum est, ut per sacrum fontem nomini Christianorum addictus Noster, postea in Christianâ religionis principis diligenter instrueretur, ac Scholæ Mindanæ sub fidelissimâ instructione & doctrinâ, Dominorum: Rectoris, Pro-Rectoris & Con-Rectoris M. GRÜBELII, HARTOGII & STEINKAMPFII, commendaretur, donec Anno MDCCIX. Scholæ Cathedralis Halberstadiensis Musas sub directione tum temporis Rectoris M. CVBELII; ac biennio ibidem absoluto, Anno MDCCXI. Gymnasium celeberrimum Berolinense, quod nomen à Valle Joachimicâ,

micâ vulgò fortitur, sub Rectoratu Dn. D. VOLKMAN-
NI, cujus nec non reliquorum Dominorum Professorum
in docendo perspicuitatem & indefessam industriam col-
laudat Noster, per biennii spatium ab iis, quibus debebat
obsequium, frequentare jussus est. Jactis huc usque in
humanioribus studiis necessariis fundamentis, ad aliora
studia animum applicare decrevit Noster, ac propterea
Academiam celeberrimam Jenensem Anno MDCCXV.
accedens, albo Academico sub Pro-Rectoratu Magni-
fico, celeberrimi, nunc pie defuncti Dn. D. WOLFFG.
WEDELIi inscriptus fuit; ubi dein Collegiis Philoso-
phicis per eruditissimos SYRBIANIS, nec non prælectioni-
bus doctissimis Dn. D. & Prof. BECKII ad Puffendorffii
de Officio Hom. & civ. elegantem libellum, non di-
ligenter tantum interfuit, sed quoque Lectiones tam
publicas quam privatas Juridicas: Institutionum, Pande-
ctarum, Juris quoque Canonici & Feudalis, celeberrimo-
rum Virorum & Professorum Dnn. BRÜCKNERI, STRU-
VII, SCHRÖTERI, DITHMARI & MARBACHII omni, quâ
feri potuit & debuit, industriâ audivit, ac in succum
& sanguinem ita vertit, ut haud sine singulari fructu,
Anno MDCCXXI. musis prælaudatis academicis valedicere,
ac dein Halberstadtii sub manu ductione, Jcti &
Advocati haud incelebris B. Dn. HIER. ERDM. VIESE-
MEYERI per biennium in foro versari, ac in Praxi felici
cum successu, sese exercere, postea quoque officio
Actuarii in Præfecturis Regiis Borussiae & Brandenburgicis
Stötterlingenburgi & Wülperoda, cum laude fungi
potuerit. Sede verò sua, quam hætenus in Saxoniam inferiore
sibi constituebat, cum Saxoniam superiore commutatâ,
non sine singulari supremi Numinis directione factum
est, ut tam in Dynastiis Perillustris Dn. DE PERLEPSCH
Grobitzii, quam Reinhardtianis Wehavii, Directio judi-
ciorum in causis criminalibus & civilibus nostro deman-
daretur, & denique à POTENTISSIMO REGE POLONIE
& SERENISSIMO ELECTORE SAXONIE Revisoris ad-
juncti redituum regionum munus, in Thuringia circulo

lo, eidem clementissimè concederetur. Tandem ad nostram perantiquam Electoralem Academiam sese convertit, ac ab Ordine nostro Juridico, ad Examen Candidatorum eò sine admitti modestè petiit, ut dein ulteriora specimina edere, ac supremos in utroque jure honores ritè eidem conferri possint; cui desiderio laudabili nos annuentes, textus ex utroque Jure resolvendos eidem communicavimus, quos ita solidè enucleavit, talemque in examine rigorosò, quod sistinuit, sè gessit, ut tam ad edenda ulteriora specimina admittus, quam Gradu Doctorali dignus judicatus sit. Quare proximà die Jovis 26. Jan. a. c. Lectionem Cursoriam ad L. 3. ff. de A. R. D. habebit, hac absolutà, eodem die de JURISDICTIONIS ALLODIALIS ET FEVDALIS CONFLICTU, AC VTRIVSQVE RATIONE FEVDORVM COMPETENTIA, disputabit solenniter, ad quos actus solennes Magnificus Dominus Rector, nec non Domini Proceres & Cives Academici decenter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Juridicæ XXII. Januarii MDCCXXX.

L.S.

ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle

003 749 266

3



TA → OL





1730, 18

19
41

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.
de moralitate legum libertatem venandi restringentium

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

